DE MULIERUM MORBIS QUAEDAM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
IE XXXI MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS LOEWENSTEIN.
LESNENSIS.

OPPONENTIBUS:
D. LŒWENSTEIN, MED. ET CHIR. DRE. MED. PRACTICO.
. HORWITZ, MED. ET CHIR. DRE.
BRUNN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO
DOCTISSIMO

EDUARDO WOLFF,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA, PUERORUM NOBILIUM MEDICO PRAEFECTO, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS MEDICO DIRIGENTI, CLINICI MEDICI IN NOSOCOMIO CARITATIS DIRECTORI, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, ORDINIS DE AQUILA RUBRA QUARTAE CLASSIS EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR

PROŒMIUM.

Tirones in doctrina nostra saluberrima, ex
arvo tantummodo temporis spatio Medicinae
editi, primasque vix almae artis lineas tenen-
s, ad quaestiones gravioris momenti et scri-
toribus experientiae copia excellentibus dignas,
iligentiam certe conferre non auderent, nisi
ntiquam illam et sanctam facultatis legem,
issertationem pro summis in ea honoribus asse-
uendis jubentem, sequentes, commentationem
e aliqua medicarum rerum materie conscribere
ogerentur.

Mori vero huicce academico solemni et mihi nunc usitato more satisfacturo, cum varia, quae scopo inservire potuerint, themata, animo volverem, illud optimum, et ut operam ei navarem dignissimum mihi visum est, quod per studiorum meorum cursum, peculiari quodam amore in sinu gestabam.

Morbos etenim mulierum cum per longius, cui medicae incumbo doctrinae, temporis spatium summa diligentia maximoque ardore coluissem, de gravissima hac disciplina disputationem, memor illius „quid valeant humeri, quid ferre recusent" veniam indulgentiamque virorum doctorum implorans, in lucem proferre sum ausus. — Neminem vero, Coicae artis peritum, fugere scio, me „recens, adhuc indictum alio ore" in hoc libello proferre de re tam gravi nec velle, nec posse, qui neque rerum huc pertinentium cum multis, qui taceant, sim comparandus, neque iis adnumerari cupiam, qui, inaugurale specimen conscripturi, nova aut insolita venentur. Quamobrem de mulierum morbis quaedam in lucem

prolaturus, permultos pervolutavi libros, auctores adii hac in re experientissimos, duces secutus sum certos, virorum usus doctissimorum operibus immortalibus. Quaecunque igitur de materia nostra cogitata, observata, conscripta inveniuntur, quaeque dispersae jacent observationes et opiniones, in unum collegi, et in ordinem modo sequentem a me redacta, breviter exposui, ut in lucem nunc proferam.

In opusculo vero elaborando hunc secutus sum ordinem:

I. De vitiis et morbis organorum genitalium.

II. De vitiis et morbis, quibus universalis mulierum organismus affici solet.

III. De vitiis et morbis ex graviditate oriundis.

IV. De vitiis et morbis partum sequentibus.

V. De puerperii morbis.

VI. De morbis, quae feminas in decrepiditate vexant.

Restat, ut lectorum humanitati opusculum

commendatum velim, qui tironis animum magis indulgentia erigendum, quam reprehensione opprimendum esse persuasum habent, quapropter eos obsecro, ne acerbius de hocce commentarolo judicent, eaque quae minus exacte invenerint, imperitiae juvenili temporisque angustiis condonare velint. —

LIBRI QUIBUS SUM USUS.

Est autem benignum ut arbitror
et plenum ingenui pudoris fateri,
per quos profeceris.
(Plin.)

Scripta ad Sectionem I. pertinentia.

C. Wenzel, über die Krankheiten des Uterus, mit 12 Kupfer- und 12 Lineartafeln, Mainz 1816. fol.

G. A. Eisenmann, Tabulae anatom. IV, uteri duplicis obs. rar. sist. Argentor. 1752. tab. I. fig. 1.

P. F. Meckel, Journal für anat. Varietäten u. s. w. S. 20. Tab. I. fig. 5. u. Vol. I. Heft I. Seite 47. tab. II.

I. G. Walter, Betrachtungen über die Geburtsth. des weibl. Geschlechts. Berlin 1793. fig. 3. S. 11 u. ff. fig. I. u. II.

D. P. A. Boehmer, observ. anatom. rar. fascicul. II. tab. 5 et 6. Halae 1752. fol. — u. fascicul. II. observ. II.

Eduard Sandifort, observ. anatom. pathol. lib. II. pag. 57 u. 59. — Vol. II. pag. 70 et. seq.

E. R. G. Engelking, Diss. de caus. variae metritidis formae. Berol. 1833. 8.

Hippocrates de morbis popularibus, lib. V.

Chambon de Montaux, Medizinisch-pract. Abhandlung von den Krankheiten der Frauen, aus dem französischen Vol. II, pag. 328.

G. F. Kummer, Diss. de uteri steatomate ac de generatione steatomatosa annotationes quaedam etc. acced. tab. III. aen. Lipsiae 1819.

F. Duparcque, Theoret. prakt. Abhandl. über die einfach und krebsartigen Veränderungen der Gebärmutter, ins Deutsche übersetzt von Dr. H. E. Flies. Leipzig 1838.

C. Wenzel, über Induration und den Geschwüren in indurirten Theilen, Mainz 1715, 8.

E. I. C. de Siebold, Diss. de scirrho et carcinomate uteri, Berol. 1826.

A. v. Haller, disputat. ad morbor. hist. et curat. facientium, Vol. IV.

G. D. Mot, de structura, usu et morbis ovariorum Jenae 1789. 4.

J. G. Roederer, observ. de hydrope ovarii etc. in seinen opuscul medic.

E. G. Voigtel, Handb. der pathol. Anatomie. Bd. III S. 345, Halle 1805.

Meckel, Handb. der pathol. Anatomie. Vol. I. S. 689.

Trnka de Krzowicz, histor. leucorrh. Vindebon, 1781. 8.

Scripta ad Sectionem II pertinentia.

…sthoff, Unterſ. über die Anomal. der monatl. Reinigung, Lemgo 1804, 8.

…r. Casimir Medicus, Geſchichte periodiſcher Krankheiten, Theil I. S. 171. u. ff.

… E. Stahl, u. G. F. Jaeschke, de insolitis mensium viis Halae 1702.

A. Peschek, Diss. de furore uterino, Lipsiae 1810.

…acobus Primorosii, de mul. morb. lib. V. Roterodami 1755, lib. II. cap. 9.

… v. Siebold, Handb. zur Erkenntniß der Frauenzimmerkrankheiten, Theil I, §. 437—458. Ffr. a. M. 1811.

… G. Gruner, Diss. de causis sterilit. in sexu sequiori, Halae 1769, in delectu dissert. medic. Jenens. Vol. II. No. 9.

…hilenius, Ueber Unfruchtbarkeit in Hufel. Journ. Vol. 12. Stück III.

…chreiber, Diss. de caus. proxim. sterilit. mulierum, etc. Jen. 1798.

…r. Hoffmann, de morb. hyster. vera indole, sede, origine et cura, Halae 1733.

…oetz, Beiträge zur Geſchichte der hyster. Krankheiten, Meiningen 1771.

Scripta ad Sectionem III. pertinentia.

J. G. Hasenoehrl de Lagusius, de abortu ejus praeservatione, in Wasserbergs opusc. minor. fascicul. I.

L. F. Lentin, über eine besondere Ursache des Mißgebären in Schweickhard's Magazin für Geburtsh. Band I Stück II.

Merkwürdige Entb. von einer ungewöhnl. großen Traubenmola in Hinze's kleinen Aufsätzen aus dem Gebiete der Medizin Breslau 1806, S. 1 bis 19.

Boer, Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts II. Auflage. Seite 181.

C. F. Weinknecht, de concept. extraut. Hal. 1791.

E. L. Heim, Erfahrungen und Bemerkungen über Schwangerschaft außerhalb der Gebärmutter, Berlin 1812.

Justus Guentz, de concept. tub. etc. culm tabul. lithograph. Lipsiae 1831. 4.

Aug. Burchard, über die sogenannte Muttertrompetenschwangerschaft, Breslau 1834. 4.

C. F. Deutsch, de gravid. abdominal. Halae 1792.

W. Josephi, über die Schwangerschaft außerhalb der Gebärmutter, und eine höchst merkwürdige Harnblasenschwangerschaft, Rostock 1803.

J. G. Walter, Geschichte einer Frau, die in ihrem Unterleibe ein verhärtetes Kind 22 Jahre getragen hat, Berlin 1778.

Scripta ad Sectionem IV., V. et VI. pertinentia.

…axtorph, diss. de sanguifluxu uterino Hafniae 1774.

…. U. Warnekros, de partub. regular. et irregular. Jen, 1803. 4.

… C. Gehler, de sangu. in partu profluente, Lipsiae 1759.

…axtorph, Erfahrungen über die vollkommene Geburt, Kopenhagen 1786.

…lb. Timpf, Diss. de eclampsia, Vratislaviae 1833. 8.

…armentier und Deyeux, neueste Untersuchungen und Bemerkungen, über die verschied. Arten der Milch u. s. w. aus Franz. von J. N. Scherer, Jena 1800.

… F. Simon, Diss. de lactis muliebris ratione chemica et physiologica, Berol. 1838.

…ac. Reinh. Spielmann, de optimo recens nati alimento, lacte, Argentorati 1753. 4.

…os. Frank, acta iustituti clinici caesareae, universitat. Vilnens. Annus II. Seite 86.

…thanasius Joannides, de mammarum physiologia, Halae 1801.

G. Meinicke, Diss. mammar. structur. et morbos sistens, Vitebergae 1805. 4.

… S. Loewenstein, der theoretische und praktische Geburtshelfer, und die Krankheiten der Schwangern, Wöchnerinnen und neugebornen Kinder, Berlin 1835.

… F. T. Krause, Handb. der menschl. Anatomie. Hannover 1836, Band I, Abth. II, S. 571 u. 585—88.

… Müller, Handb. der Physiologie, 2te Aufl. Coblenz 1835, Theil I, pag. 113 u. 114.

Albr. v. Haller, primae lineae physiolog. edit. III. Goetting 1765. S. 390 u. ff.

L. H. F. Friedlaender, fundamenta doctrin. pathol. libri tres. Lipsiae 1828. Lib. II. S. 130—32.

J. S. Loewenstein, die medizinische Prosodie, oder über die richtige Aussprache der in der Medizin u. Pharmazie gebräuchlichen Ausdrücke, für Aerzte, Apotheker u. Naturforscher. Berlin 1838.

J. N. Raimann, principia pathol. ac therap. specialis medicae, Tom. I u. II. Viennae 1835.

K. H. Baumgaertner, Dualist. System der Medizin, allgem. Theil. Stuttgart u. Leipzig 1837, S. 169—73.

K. H. Baumgaertner, Dual. System der Medizin. Band II u. III, oder specieller Theil.

Joerg, Krankheiten des Weibes. Leipzig 1831. Theil I, pag. 22 u. ff.

Clarke, Beobachtungen über die Krankheiten des Weibes, aus dem Engl. v. Heinecken, Hannover 1838.

Sectio prima.

De vitiis et morbis organorum genitalium.

I.

Uterus.

Uterus et vitiis congenitis et morbis acquisitis noxius est. 1)

Inter vitia congenita sunt referenda:

a) uterus divisus

b) uterus divisus bicornis

c) uterus duplex bicornis.

Divisus vocatur ille, cujus cavum septo, ad collum fere ertinente in duas dividitur partes, quarum cohaeret quaeque um una tuba 2). Qui uterus, si praeterea in prima conforatione subsistens, in duo ad bisulcorum modum cornua exit, ivisus bicornis 3) vocatur.

Contra duplex bicornis nominatur ille, qui praeter duo ornua cavumque bipartitum etiam collum et orificium duplex

---

1) C. Wenzel, über die Krankheiten des uterus.

2) G. A. Eisenmann, Tabulae anatom. Tab. I. Fig. 1. P. F. Meckel, Journal für anat. Varietäten f. w. S. 20. Tab. I. Fig. 5.

3) J. G. Walter, Betrachtung über die Geburtsth. des eibl. Geschl. Fig. 3.

habet 1), quali uteri conformatione cuniculi, lepores, castores, aliaque animalia excellunt.

Praeterea orificii coarctati vel plane clausi 2), vel valvulis membranisque transversis coarctantibus aut occludentibus muniti, nonnulli scriptores 3) mentionem fecerunt. Exempla etiam afferuntur orificii externi ad colli latus, collique in intestinum rectum hiantium. Neque desunt, qui de totius uteri defectu, vagina genitalibusque externis plane integris disseruerint.

Ad morbos acquisitos, qui uterum petere solent, nunc progredimur. Quorum autem permulti variam indolem exhibent, prout gravidus sit, nec ne uterus, vel in partu emoliendo versetur. Differunt itaque inter se inflammationes uteri 4) gravidi et non gravidi, nec non alia est inflammatio uteri parturientis eademque puerperarum. Idem valet de hydrope, qui in utero gravido et non gravido observatur, de haemorrhagiis, quibus sub partu praesertim uterus afficitur, de prolapsibus, inversionibus, polypis etc. —

Praeterea ex graviditate originem ut plurimum ducunt: uteri rheumatismus, qui etiam ad partum accedit, situs obliquus, hysterocele, hernia uteri; inter ipsum partum uteri sensilitas et contractilitas abnormis, rupturaeque observatae sunt, praeter illos, quos jam memoravimus, morbos. —

Osteosteatomata uteri jam Hippocrates 5) observavit, nec non concrementa similia ossea, lapidea Boehmer 6) et Chambon de Montaux 7) descripserunt. Steatomata 8) quoque, sarcomata uterique scirrhus et carcinomata 9) haud raro observantur.

---

1) D. P. A. Boehmer, observ. anat. var. fascicul. II. tabul. 5 et 6.

2) Eduard Sandifort, observat. anatom. pathol. lib. II. pag. 57 u. 59. Meckel l. c. Vol. 1. Heft 1. S. 47. tabul. II.

3) Ed. Sandifort, l. c. Vol. II. pag. 70 et seq.

4) E. R. G. Engelking, Diss. de caus. variae metritidis formae.

5) Hippocrat. de morbis popularibus lib. V.

6) Boehmer l. c. fascicul. II. observ. II.

7) Medizinisch = prakt. Abhandl. von den Krankheiten der Frauen aus dem Franz. Vol. II. pag. 328.

8) G. F. Kummer, Diss. de uteri steatomate etc. — F. Duparcque, Theoret. prakt. Abhandl. über die einfachen und krebsartigen Veränderungen der Gebärmutter, von Dr. H. E. Flies.

9) C. Wenzel, über induration und Geschwüre in indurirten Theilen.

10) E. J. C. de Siebold, diss. de scirrho et carcinomate uteri.

II.

Ovaria.

Ovaria 1) omnium organorum feminae humanae degenerationibus et excrescentiis luxuriantibus maxime obnoxia sunt. Qui enim his organis sanis inest, continuus formandi nisus, etiam ab anomalo eorum statu non abest, quare ad vitam pathologicam agendam compelluntur. Omnes vero ovariorum degenerationes saepissime ex eorum inflammationibus oriuntur. Haecce vitia imprimis sunt gravissima: induratio et corrugatio substantiae eorum cellulosae, ita ut quasi exarescant ovaria, qualis status annis climactericis peculiaris esse solet; tum scirrhus ovarii, ex utero ut plurimum huc pergens, nam scirrhus uteri ad tubas nec non ovaria etiam tendit. Ossa etiam, dentes, crines, sebum massaeque caseo liquido simillime in ovariis occurrunt eorumque intumescentiam ingentem totiusque texturae degenerationem efficere valent. Neque raro in massam carnosam et cellulosam immutata, vel cum partibus adjacentibus, ut cum utero, vesica urinaria, intestinisque coalita, vel tandem hydropica 2), observata sunt ovaria. Primae ovariorum conformationis vitia, praeter universum vel partialem, i. e. in alterutro latere, defectum, non exstant. Praeterea embryo interdum sedem in ovario collocat et graviditatem oaricam efficit.

III.

Tubae Fallopianae.

Tubae Fallopianae paucorum vitiorum focum exhibent. Fimbriarum defectum, vel tubarum in abnormem uteri locum

---

1) A. v. Haller, disput. ad morbor. hist. et curat facientium Vol. IV.
G. D. Motz, de structura usu et morbis ovariorum.
2) J. G. Roederer, observ. de hydrope ovarii etc. in seinen opuscul. medic.

aperturam, vel inclusionem, vel tandem earum cum ovariis concretionem aliquoties observare licet. Praeterea omnium graviditatum abnormium, i. e. extrauterinarum, frequentissima est graviditas tubaria.

IV.

Vagina.

Vagina non tot tantisque primae conformationis vitiis est obnoxia, quam uterus. Adsunt tamen exempla vaginae simulque uteri defectus 1); eadem etiam septo in duas partes divisa, gemino igitur hymene instructa una cum utero duplice reperta est. Vaginae duplicis in uterum simplicem hiantis mentionem facit Meckel 2). De vaginae parietum in neonatis concretione, quae alioquin in natu majoribus inflammationes subsequitur, plures auctores 3) verba faciunt. De vagina in intestinum rectum patescente conferatur Meckel 4). Praeter haecce vitia hymen nimis magnus, vel nimis crassus densusve, itaque vaginam coarctans vel plane claudens repertus est, quod etiam utroque labio justo longius coalito potest effici. Sic etiam clitoris interdum justo longior et crassior apparet, id quod ad vaginam coarctandam, nihil valet.

Ad morbos partium genitalium fluor albus, s. leucorrhoea 5), referri debet. Est autem muci secretio praeter normam aucta, ex uteri, vel vaginae, vel utriusque labii tunica mucosa profecta. Duae quidem quod ad originem et decursum species exstant: vel maligna, quae semper a contagio pendet et virorum gonorrhoea laborantium amplexu venereo plerumque efficitur, contactuque igitur propagari potest; vel benigna, insons, quae non infectione, sed irritamentis crebrioribus, ut coitu nimis frequente, onania,

---

1) F. G. Voigtel, Handb. der pathol. Anat. Band III. Seite 435.
2) Meckel, l. c. S. 24.
3) J. G. Walter, l. c. S. 11 u. ff. Fig. 1 u. 2.
4) Handb. der path. Anatom. Vol. I. S. 698.
5) Trnka de Krzowiecz histor. Leucorrh.

raviditatibus numerosis et celeriter sese excipientibus etc. ponte ac sensim oritur contagioque caret. Saepius etiam ensium loco (menses decolores) fungitur haec species, quo casu muci secretio menstrui tempus solitum excedit minusue copiosa est.

Sectio altera.

De vitiis et morbis, quibus universalis mulierum organismus affici solet.

I.

Menses variis anomaliis insignire possunt 1), quarum graviores hae sunt:

Quod ad tempus, menses vel sunt praecoces, vel reardati, vel frequentes vel rariores, protracti, vel continui.

Menses praecoces ii sunt, qui justo maturius intrant, neque desunt exempla, ex quibus videre licet, puellas annorum sex, imo natu minores jam reddidisse menses 2).

Qui contra justo serius apparent, retardati vocantur, neque raro ad vitae annum vicesimum, vel vicesimum quintum usque retardatos esse, seriusve vel nunquam apparuisse menses, referunt scriptores. Frequentes appellantur, qui intervallis nimis brevibus se excipiunt, ita ut temporis spatium, binis evacuationibus interjectum, non quatuor hebdomades complectatur; contra rariores non quatuor hebdomadum typum agnoscunt, sed longius tempus, e. g. hebdomadum sex vel

---

1) Osthoff, Untersuch. über die Anomal. der monatl. Reinigung.

2) Fr. Casimir Medicus, Geschichte period. Krankh. Theil 1. S. 171 u. ff.

octo, binis fluxibus interponitur. Qui fluere per intervalla non desinunt sed, nonnisi horarum vel dierum aliquot spatio interjecto, continuo perdurant, menses continui et qui diutius, quam statu normali perdurant, protracti nominantur; neque raro observata sunt hujusmodi profluvia, hebdomadis spatium excedentia. Qui denique nunquam tempore quodam certo apparent, inordinatorum nomine designantur.

Quod ad quantitatem sanguinis excreti, menses sunt aut nimii aut pauci.

Neque indoles sanguinis menstrui semper est eadem. Modo sanguinis nimis tenuis, majorem seri, minorem cruoris partem continens, modo mucus albus (menses decolores, leucorrhoea insons), excernitur.

Viis etiam insolitis menses profluunt, quos incongruos s. extravagantes nominamus 1). Sic e. g. rhinorrhagia, otorrhagia 2), stomatorrhagia, haematemesis etc. mensium loco observatae sunt.

Menses denique retentione vel obstructione vitiari possunt. Vocamus enim retentos, si annis maturis jamque pubertate plane evoluta, aut per longius tempus, aut nunquam (amenorrhoea) in conspectum veniant, contra obstructos s. suppressos, si jam ingressi subito supprimantur.

Menstruatio difficilis s. dolens (dysmenia), in primo praesertim mensium profluvio observatur. Sunt enim animi perturbationes, congestiones, dolores colici, gravitatis plethoraeque abdominalis sensus, cephalalgia, doloris regionis sacrae, quae tale catameniorum vitium significant. Quae etiam phaenomena mensium profluvium primum comitari solent, neque minus decrepiditatis stadium infestant.

II.

Mulieris ad venerem impetus a norma ita recedere potest, ut vel nimius sit, vel nullus. Libidinis nimiae causae ut plurimum sunt eaedem, quae menses praecoces, vel frequentes decoloresve inducere possunt. Quae, ubi summum fastigium assecuta est, nymphomania 3), hysteria uterina s. me-

---

1) G. E. Stahl et G. F. Jaeschke, de insolitis mensium viis.

2) A. v. Haller, elem. physiol. — Whytt de morb. nervor.

3) J. A. Peschek, Dissert. de furore uterino. — Jacobis Primarosii, de mul. morb. libri V. Lib. II. cap. 9. — E. v. Siebold, Handb. zur Erkenntn. der Frauenkrankh. Theil I. §. 437 bis 458.

ncholia uterina, andromania vocatur, virorumque Satyasi simillima est habenda. Deficiens coeundi appetitus easem fere causas agnoscit, quae menses retardare, vel retinere olent, parique virorum conditioni, quam Pinelli anaphrodiam nominavit, optime respondet, ita ut jure anaphrodisia ulierum vocari possit.

Coeundi facultas deficiens aut morbis genitalium dolenbus, aut eorum deformitatibus, quae penis immissionem prohient, ut vaginae atresia, prolapsu, excrescentiis, tuoribus cet. effici potest.

III.

Sterilitas 1), s. concipiendi impotentia aut relativa st, i. e. viri impotentiae ratione habita, aut absoluta, i. e. sola muliere posita. Cujus causae sunt aut coeundi facultas eficiens, aut vita genitalium imminuta, aut eorum sensilitas t irritabilitas nimis aucta, aut denique ovariorum, vel uteri, el tubarum vaginaeve, quod ad formam, conjunctionem situmne vitia, ad quae frequentes illae degenerationes, in nisus ormativi aberrationibus positae, haud raro accedunt.

IV.

Chlorosis 2) s. icterus albus, virginum morbus vetebus, la pâle maladie Francogallis dicta, primo pubertatis anno, ed etiam mulieres adoritur, et faciei colore pallido, livido et ubviridi, annulis circa oculos coeruleis, labiis pallidis, lingua lba, cuti arida et pallida, in universum reproductione immiuta, manifestatur. Praeterea alvus turgida, et obstipata est, atibus premitur, urina pallida apparet, et dolores lumborum rahentes, anxietas, respirationis molestiae, artuum tremor, ano-

---

1) C. G. Gruner, Diss. de causis sterilit. in sexu sequior. in delectu dissert. medic. Jenens. Vol II. No. 9. — Thienius, über Unfruchtbarkeit in Hufel. Journ. Vol. 12. Stück III. Schreiber, Diss. de caus. proxim. steril. mulier. cet.

2) Kaltschmidt, Diss. de vidua XXX annorum chloosi laborante. — Meckel, Diss. de chlorosi. — Neumann, iss. de chlorosis natura et medela.

rexia, tristitia, vel melancholia, lassitudo debilitasque universa et somnolentia totius organismi affectionem indicant. Nervorum functiones turbantur, id quod ex cardialgia, vertigine, aurium susurru, amblyopia photoptica, cephalalgia et appetitu insolito, e. g. cretae vel carbonum, quo vexantur chloroticae, facile intelligitur. Semper sub hac rerum conditione mensium fluxus perturbatus est; aut enim cessat aut a quantitate vel a qualitate normali aberrat, et leucorrhoeam saepissime cum chlorosi conjunctam videmus.

V.

Hysteria 1), s. passio hysterica, s. suffocatio uterina, s. uteri adscensus, neurosis chronica vocatur, quae symptomatibus quidem constantibus et certis, nec non forma certa caret, sed ex aegrotae animo facillime diagnosci potest, quum morbosam conditionem ipsa verbis maxime contrariis describat et in majus semper augeat. Qui vero morbus, quum omnes organismi partes aeque afficiat, neque igitur ad unam partem proprie accedat, hysteria, i. e. uteri (ὑστηϱ) 2) affectio, immerito vocatur. Virorum hypochondria optime potest comparari cum hysteria, cui simillima est.

Sectio tertia.

De vitiis et morbis ex graviditate oriundis.

I.

Quae graviditas secum ducit phaenomena, sanae mulieris conditioni saepe infestissima, tum ex uteri cum foetu connexu

1) Fr. Hoffmann, de morb. hyster. vera indole, sede, origine et cura. — Götz, Beiträge zur Geschichte der hyster. Krankh.

2) J. S. Loewenstein, die medizinische Prosodie für Aerzte, Apotheker und Naturforscher, Berlin, 1838. S. 84 u. 85. 98. 139.

vitioso, tum ex ejusdem cum reliquo organismo commercio mechanico et dynamico immutato et insolito derivanda sunt.

Quod primum attinet ad dispositionem ad reliquos morbos, ex graviditate oriundam, qualis ex uteri cum reliquo organismo nexu immutato prodeat, haecce notatu dignissima nobis videntur. Quae si morbos in organismo reperit, aut in omne tempus eos saepe expellit, e. g. exanthemata, epilepsiam cet. aut levat et aliquamdiu opprimit, quare gravidae in universum pluribus morbis non obnoxiae sunt, quam illae, quae utero gerunt. Ex altera tamen parte multa mulieris pathemata, inde augentur, vel vi adaucta in ipsam irruunt, si inter graviditatem paullulum minuta erant. Quae omnia phaenomena nimirum posita sunt in peculiari nervorum conditione (e. g. pica et malacia) et in vis assimilatricis immutatione, qûum omnes humores ab utero attractos et in ovo depositos perspiciamus, quare in aliis organis imminuti sint, vel plane deficiant, necesse est.

Nunc de iis tantum morbis ex graviditate oriundis disputabimus, qui ex uteri ad foetum ratione perversa potissimum proficiscuntur. Aut in conditione uteri morbosa, quae sua ipsius vita imminuta, vel sensilitate et irritabilitate nimia, vel fabricae vitiis efficitur, atque in uteri contractilitate, hinc nimis exigua, aut in embryonis situ vel formatione vitiosa, illa uteri ad contentum ratio perversa posita est. Quae omnes conditiones plurimum valent ad uteri gravidi haemorrhagias, inflammationes, hydropes, rheumatismos, prolapsus etc.; nec non abortus, 1) partus monstrosos 2) et molas, quas dicunt, (quarum variae species describuntur: mola carnosa, vesicularis 3), s. hydatica, tendinosa, aquosa, cruenta, ventosa, calcarea) efficere possunt.

II.

Graviditatis decursus normalis multis morbis intercurrentibus saepius intercipitur. Rarius quidem, quam pathemata ex utero potissimum profecta, morbi foris in gravidas irruunt, sed non semper vita uteri plastica hoc tempore aucta, a rebus externis iisque nocivis gravidas defendere valet. — Itaque inflam-

1) J. G. Hasenoehrl de Lagusius, de abortu ejusque praeservatione in Wasserbergs opusc. minor. fascicul. I.

2) L. F. Lentin, über eine besondere Ursache des Mißgeb. in Schweickhards Magazin für Geburtsh. Band I. Stück II.

3) Merkwürdige Entb. von einer ungewöhnl. großen Traubenmola in Hinzes kleinen Aufsätzen aus dem Gebiete der Medizin. Seite 1—19.

mationes omnes acutae duplice modo graviditate nocere eamque haud raro debito maturius ad finem producere queunt: tum antagonismo, quo pars affecta uterum superat vitalitate, humores ei detrahit ovique inde depravationem, vel mortem causatur, tum temperie nimis adaucta, quae celerrime embryonis vitam tenerrimam exstinguere valet. — Qui organismum debilitant morbi, e. g. haemorrhagiae, diarrhoeae continuae, febres diuturnae, praesertim indole gàstrica insignes, aeque ac biliosae et nervosae, cito quidem in praeceps dare possunt gravidam, sed minus celeriter ovo damnum inferunt. Uterus cum ovo nonnisi paullatim nutrimenti inopiam experitur, ovum igitur sensim tabescendo exstinguitur et ex utero serius ocius expellitur. Ubi vero ad legitimum finem graviditas pervenit partesque ovi externae languere coeperunt, non subit quidem mortem foetus, sed nutrimenti vitaeque in utero defectus alia ratione manifestatur. Corripit enim atonia placentae foetalis ipsam uteri substantiam, uterique tandem putredinem inducit, cujus primum mentionem fecit Boer 1). Qua rerum conditione tanto magis quidem mulieris gravidae vires consumuntur, quanto diutius ovum incolume retinet uterus, sed tum demum ipsius vita plane exstinguitur, cum foetus etiam exstinctus, vel utero expulsus est, ita ut ipse ab exitio se defendere valeat organismus femineus, quamdiu ovum vivum in utero nutriatur indeque irritamenti aliquid in subsidio collocetur.

N e u r o s e s alia organa incitando uteri functiones vitamque plasticam per antagonismum imminuere ovumque inde serius ocius corrumpere valent. —

S y p h i l i s, ubi nimis debilitavit organismum, graviditati rite procedenti aeque ac reliqui morbi debilitantes est infesta.

Quae praesertim utero vicina sunt, ulcera et similia vitia, inde exorta, ejus functiones maxime turbant et embryonis nutritionem quod ad quantitatem et qualitatem depravare valent, ita ut omnes infantes ex matre syphilitica, nisi syphilitici, tamen aegrotantes in lucem edantur.

Idem valet de aliis morbis c o n t a g i o s i s, e. g. de morbillis, de scarlatina, de variolis etc., qui quidem foetus valetudini detrimentum maximum inferre possunt, sed nunquam sensu strictiori eum inficiunt, quamdiu in utsro retinetur et in ovi integumentis a liquore amnii circumdantur. Sin autem inter partum, permeans vaginam, ipsa hujus et genitalium externorum ulcera tangit infans, facillime matris morbo infici potest.

---

1) Abhandlungen und Versuche geburtsh. Inhalts, Auflage II. S. 181.

III.

Graviditas extrauterina 1) ille status abnormis vocatur, quo ovum foecundatum non ad uterum defertur, sed in alio loco, ut ovariis, tubis Fallopii, vel in cavo abdominis ponitur, ibique nutritur, unde graviditas tubaria 2) vel oarica, vel abdominalis 3) existit. Cujus vero conditionis, a norma recedentis, causa haud dubie in seminis virilis rapiditate cernitur, qua ultra fines protrusum vel ad tubam Fallopii vel ad ovarium perfertur ibique ovulum tactum foecundat. Quae graviditates hoc decursu insignire solent. Aut exstinguitur brevi tempore interjecto ovum totusque embryo cum velamentis suis absorbetur, aut tantam ad magnitudinem evehitur, ut pro receptaculi resistentia majore vel minore dolores acerbissimos excitet, imo adeo illud subito rumpat et in abdominis cavum delabatur, quo graviditas sic dicta abdominalis secundaria efficitur. Ubi vero illa ruptura, quae gravidae mortem extemplo infert, locum non habet, uterum illum spurium inflammatio, ovi irritatione inducta, adgreditur, qua fit, ut ovum cum velamentis suis exstinguatur, putrescat et in sanie solvatur, dum receptaculi abnormis inflammationem suppuratio, partes destruens, excipiat. Una cum pure, sanie partibusque osseis, ex foetu residuis, aut foras abscessus ille aperitur, aut inflammationis ope cum vesica urinaria, vel intestino recto, concrescit in hoc illamve hiat et contenta sua effundit, unde vesicae urinariae 4), vel intestini recti graviditas secundum auctores nonnullos originem ducit. Uterque status ad ulcus sanandum valet, prospereque interdum evenit graviditas, nisi febri suppuratoria, quod plerumque fieri solet, gravida consumatur, id quod etiam accidit, si partes cartilagineae vel osseae majores sunt, quam quae cum sanie per urethram expelli possint ideoque retinentur, vel si abscessus in ipsum abdominis cavum aperitur.

---

1) C. F. Weinknecht, de concept. extraut.
E. L. Heim, Erfahrungen und Bemerkungen über Schwangerschaft außerhalb der Gebärmutter. Berlin, 1812.

2) Justus Güntz, de concept. tub. etc. cum tabul. lithogr. Lipsiae 1831. 4. — Aug. Burchard, über die sogenannte Mutter-Trompeten-Schwangerschaft. Breslau 1834. 4.

3) C. F. Deutsch de grav. abdominal.

4) W. Josephi über die Schwangerschaft außerhalb der Gebärmutter und eine merkwürd. Harnblasenschwang. Rostock 1803.

Lithopaediorum 1) sic dictorum, i. e. embryonum in utero spurio non sanie post mortem solutorum, sed potius induratorum, mentionem plures scriptores fecerunt.

Sectio quarta.

De vitiis et morbis partum sequentibus.

I.

Partus quoque variis modis a norma recedere potest 2). Huc referendi sunt dolores ad partum nimis tardi, vel deficientes, vel debitum modum excedentes. Dolores ad partum spurii vocantur, qui aliter ac veri, non ex uteri contractionibus, sed ex affectione morbosa aliorum viscerum abdominalium oriuntur. — Partus labor ipse multis rebus vel impeditur, vel retardatur, vel denique ad èxitum perduci nequit, quod tum ipsi parturienti, tum foetui est imputandum. Quod enim ad matrem attinet, ipsius debilitas et sensilitas nimia, vel aetas provectior, vel genitalium, uteri vaginaeque praesertim, conditio abnormis, vel pelvis deformis partum difficilem reddere possunt, dum embryonis partiumque ei adhaerentium, secundinarum scilicet et funiculi umbilicalis, abnormitatibus non minor est gravitas in istius laboris difficultatibus augendis.

Inter phaenomena, quae partum a norma aberrantem concomitari solent, metrorrhagiae et parturientium convulsiones, s. eclampsiae, medici attentionem imprimis occupant. Haemorrhagiae 3) partum ipsum supervenientes ex causis variis oriuntur. Creberrime quidem in solutione placentae foetalis

---

1) J. G. Walter, Gesch. einer Frau, die in ihrem Unterleibe ein verhärtetes Kind 22 Jahre getragen hat.

2) Saxtorph. Erfahrungen über die vollkommene Geburt. — T. U. Warnekros de partub. regular. et irregul. 4.

3) J. C. Gebler, de sang. in partu profluente, — Saxtorph, diss. de sanguifluxu uterino.

maturiore, ante infantis scilicet ex utero secessum facta, sunt positae. Tum etiam placentae insertio abnormis ad suscitandas illas sufficit, quae quo propius ab orificio est inserta, eo magis et facilius eas producit. Quae post partum oriuntur, metrorrhagiae, aut ab uteri contractione inaequali, aut ab ejus laesionibus proficiscuntur. —

Parturientium convulsiones, s. eclampsiae 1), quae aut inter ipsum partum, aut paullo post oriuntur, ab haemorrhagiis, a contentione, quam requisiverat partus negotium, majore, vel denique a laesionibus et doloribus vehementibus, pendent, neque raro mortis periculo aegrotam submittunt.

II.

Quae praeterea partum a via normali avertere valent momenta, paucis absolvenda nobis sunt. Sunt enim uteri parturientis inflammationes, rheumatismi, situs obliqui, prolapsus, pronationes, orificii concretiones. Perinaei etiam uterique inter partum in aliquo loco, praesertim in vaginae vicinia, ruptura observata est, qua efficitur, ut foetus cum secundinis in abdominis cavum delabatur.

Vaginae genitaliumque externorum quoque affectiones morbosae huc pertinent, ut vaginae concretiones inflammationibus praegressis exortae, nec non ejus coarctationes, quae vaginae polypis, varicibusque et labiorum pudendi oedemate, vel tumore etc. hoc tempore saepius efficiuntur, infantisque exitum prohibent. Quae vaginae coarctatio reperitur etiam in mulieribus, quae fibra rigida insignes aetate demum provectiore partum edunt.

Ut uterus, ita etiam vagina interdum prope orificium rumpitur. Quae rupturae aut longitudinalem aut transversam diametrum habent, ad uteri cavum saepius penetrant, foetusque in abdomen delapsum admittunt.

---

1) Alb. Timpf, Diss. de eclampsia.

Sectio quinta.

De puerperii vitiis.

I.

Puerperium graviditatis quasi transitus est in illum organismi statum, qui ante conceptionem fuit, ad quem reducendum sex hebdomadum spatio, ut vulgo credunt, opus est. Quae vero inter graviditatem ad placentam adducebatur, materia nutritia, in alia nunc organismi parte deponatur, necesse est. Itaque placentae vices nunc mammae suscipiunt, quarum paullo post partum vis vitalis eo gradu augetur, quo imminuitur in utero, donec lactis secreti quantitas ad neonatum alendum sufficiat.

Lactationis 1) vitia, quo magis non matris solum sed lactentis etiam conditioni detrimentum afferre valent, eo magis sunt respicienda. Ipsius lactis secretio aut justum modum excedit (Galactorrhoea 2), quo non raro totius corporis debilitas, sic dicta tabes lactea s. nutricum, s. atrophia lactantium, et serius ocius mors adducitur, aut justo parcior apparet, ita ut saepe impediantur matres, quo minus lactare pergant. Ubi tandem supprimitur subito lactis secretio, id quod terrore, metu, ira, fame sitique continua, agrypnia, frigorisque injuriis etc. saepe efficitur, sic dictis metastasibus lacteis ansa praebetur, quae quo praestantiores sunt partes, mammarum vices suscipientes, eo gravius vitae periculum lactanti moliantur, necesse est.

Lactis quoque indoles varia subit vitia, e quibus detrimentum maximum capiunt infantes lactentes. Ubi propter serum praevalens nimis tenue lac est, non satis alit primarumque

---

1) Parmentier und Deyeux, neueste Unters. und Bemerk. über die versch. Arten der Milch u. s. w. aus dem Franz. von J. N. Scherer. Jena 1800. — Jac. Reinh. Spielmann, de optimo recens nati alimento, lacte, Argentorati 1753. 4.

2) Jos. Frank, acta instituti clinici caesareae universitat. Vilnens. annus II. Seite 86.

viarum acidum efficit. Quod vero coagulo abundat, lac scilicet nimis pingue et spissum, minus eupeptum est. Qualem denique in lactis qualitatem vim exserat nervorum conditio, facile est intellectu, quum quotidie fere observemus, lactis paullo post animi perturbationes secreti usum dolores vehementes, vomitum, diarrhoeam, imo convulsiones lactentibus parare.

II.

Ut mittamus haec lactis vitia, ipsas mammas a statu normali varia ratione inter puerperium recedere videmus 1). Quae enim a pueritia aut justo magis fovebantur, vestibusque vel thoracibus linteis nimis coërcebantur, aut altera ex parte justo magis nudatae, coeli injuriis committebantur, non eum perfectionis et conformationis gradum assequuntur, quo functionibus suis rite inservire possint, etenim glandulae mammariae non satis laxae evadunt, vasaque lactea non rite dilatantur. Quodsi igitur post partum lactis secretione funguntur, per eam nimis irritantur, et accedente praeterea irritamento in lactatione posito, non solum intumescunt mammae, sed status etiam subinflammatorius exoritur, quem semper f e b r i s, sic dicta l a c t e a, concomitatur, quibus sub conditionibus, si mulier mammam non amplius infanti praebet, lac in vasis stagnat, quod aut sic dictis n o d i s l a c t e i s, aut totius mammae i n d u r a t i o n i ansam praebet. Alias demum molestias mammae infanti oblatae subeunt, tum p a p i l l a r u m v u l n e r a t i o n e, quae die tertio vel quarto vel quinto post partum seriusve in conspectum venit, tum p a p i l l i s justo m i n o r i b u s, quas amplecti nequit os lactentis.

Quae non mammas infanti praebent puerperae, sic dictis lactis metastasibus imprimis obnoxiae sunt. Quum enim, lactatione locum non habente, eo etiam irritamento mammae careant, quo lactis materiam ex sanguine attrahere valeant, alium locum, earum vices suscipientem, facile sibi eligit ista materia. Praeterea f e b r i s p u e r p e r a l i s, m a m m a r u m i n f l a m m a t i o n e s, nec non s u p p u r a t i o n e s, facilius in feminas non lactantes irruunt.

Sexta hebdomade, ut solet, partium genitalium vita in iis mulieribus, quae non alunt infantes, refocillatur, qua supervacua materia nutritia denuo ab utero attracta et collecta per menstruationem expellitur, dum quae mammas praebent, per totum lac-

---

1) Athanasius Joannides, de mammarum physiologia Halae 1801. — J. G. Meinicke, Diss. mammar. structur. et morbos sistens, Vitebergae 1805. 4.

tationis tempus fluxo menstruo carent, quo redeunte cessat lactatio.

III.

Lochia, quibus membranae caducae Hunteri reliquiae et sanguis ex utero propelluntur, paullo post partum ex sanguine clarissimo et ruberrimo (Lochia rubra), die secundo vel tertio ex sero sanguinis (Lochia alba), die tandem quinto vel septimo, ex liquore pallidiore, spissiore, magisque mucoso, lactis nonnunquam simili, constant. Serius ocius fluere desinunt, prius quidem in lactantibus.

Quae subeunt vitia lochia, vel ad quantitatem, vel ad qualitatem referenda sunt. Lochia ut justum modum excedant, omnibus rebus compelluntur, quae nimium sanguinis ad vasa uterina copiam adducunt, quare puerperae non lactantes maxime iis obnoxiae sunt. Lochia nimis parca, vel plane suppressa, aut ab uteri vi vitali humoribusque ad alia organa adductis repetenda sunt, id quod aliis secretionibus justo magis adauctis, vel aliorum viscerum inflammationibus efficitur, aut ab uteri ipsius statu irritato, vel inflammato, vel convulsivo pendet. Lochiorum quoque indoles a norma recedere potest, quum modo nimis aquosa, modo muco puris simili, vel vero pure et sanie remixta appareant. Colorem etiam saepe mutant et odorem foetidum interdum spargunt. — Quae omnia phaenomena uteri vaginaeve conditiones morbosas indicant.

IV.

Hosce praeterea morbos in puerperas saepius irruentes perspicimus. Quae quidem uterino systemati, genitalibus externis, organis uropoeticis et pelvi per partum damna illata sunt, uteri vaginaeque scilicet rupturae et compressiones, perinaei disscisiones, ossis coccygis luxationes, ligamentorum et cartilaginum, quae ossibus coccygis et ilium, vel ossibus pubis interjacent, extensiones et rupturae, colli vesicae, vel ipsius vesicae urinariae laesiones etc. in puerperium etiam recipiuntur.

Quae uteri rupturas sequuntur in puerperio inflammationes, brevi in gangraenam transeunt, vel indolem nervosam accipiunt omnesque puerperii functiones tollunt. Minores etiam uteri vaginaeve laesiones, ut colli uteri rupturae, vaginae compressiones, inflammationes vehementes, cum febri conjunctas, efficiunt. Va-

ginae rupturae, quamvis per se levioris momenti sint, tamen gravius periculum adducere possunt, quia sanguinis inter ossa pelvis et vaginae parietes effusio oritur, qui si largior est, quam ut absorberi possit, in tela cellulosa partes interjacente stagnat et putrescit saniemque conformat, reliquis organismi humoribus plus minusve sese admiscentem, febremque lentam inducentem, qua aegrotae tandem consumuntur. — Perinaei rupturae majores, etiamsi sanentur, semper post puerperium tum voluptatem inter coitum imminuunt conceptionemque prohibent, tum vaginae prolapsibus favent. —

Obnoxiae denique sunt puerperae metrorrhagiis solitis, iisque ex uteri polypis collique ruptionibus majoribus ortis, uteri porro sensilitati nimiae, vel atoniae et putrescentiae inde exortae, febribus demum variis iisque traumaticis, rheumaticis, gastricis, lacteis et puerperalibus, quarum causae omnes e superioribus optime perspiciuntur.

Purpura quoque alba, genitalium imprimis, labiorum majorum suppurationibus, phlegmasia alba dolente 1) haud raro laborantes videmus puerperas.

Sectio sexta.

De morbis quae feminas in decrepitate vexant.

Quod denique, ut dissertationi nostrae finem imponamus, ad annos sic dictos climactericos attinet, matronarum morbi, chronici praesertim, longiore temporis spatio insigniuntur, nec non praevalentis imprimis reproductionis notam prae se ferunt.

---

1) A. S. Loewenstein, der theor. und prakt. Geburtshelfer, und die Krankheiten der Schwangern, Wöchnerinnen und neugebornen Kinder. Berlin 1835.

Quare etiam fit, ut mulieres aetate jam provectiores morbis quibusdam reproductionis laborent, nec non raro hydropes, melaena, indurationes, scirrhi et carcinomata, ventriculi tractusque intestinorum morbi observantur. Nervorum denique affectiones, ut sensuum hebetudo, saepius in mulieribus quam in viribus senibus observantur. —

AUCTORIS

VITÆ ET STUDIORUM CURSUS.

Natus sum Augustus Lœwenstein, anno MDCCCXIII, Lesnae, magni Ducatus Posnaniensis oppido, parentibus optimis Julio Lœwenstein et Johanna e gente Lœwenstein, quos adhuc vivos, ut diu conservet Deus optimus maximus, precor. Fidei judaicae addictus sum. — Primis literarum rudimentis imbutus, gymnasium Lesnense, quod t. t. Directore Joh. Ch. de Stoephasio, viro doctissimo, et summe de me merito florebat, frequentavi.

Anno MDCCCXXXIII m. Octobri, testimonio maturitatis ornatus, ab Ill. Strauss t. t. Rectore magnifico, in civium academicorum, et ab Ill. Busch t. t. Decano spectatissimo, in medicinae studiosorum numerum receptus sum.

Ex quo inde tempore hisce virorum doctissimorum praelectionibus interfuisse glorior:

Ill. Schultz, h. t. Decano maxime spectabili, de elementis zoologiae et botanices. — Ill. Kunth de Botanice. — Ill. Mitscherlich de Chemia experimentali et de Zoochemia. — Ill. Michelet de Logice. — Ill. Steffens

me gratitudinis vinculo sibi adligatum, hodegeticen, philosophiam naturalem, anthropologiam et psychologiam docuit. — Ill. Heyse de arte poëtica. — Ill. Schlemm de osteologia, nec non de syndesmologia et de anatomia organorum sensuum. — Ill. Müller de anatomia, de anatomia organorum sensuum et de physiologia generationis. — Institutionibus cadaverum rite dissecandorum ducibus, Ill. Müller et Schlemm, adfui. — Ill. Osann de materia medica. — Ill. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali. — Ill. Horn de pathologia et therapia speciali nec non de morbis mentis et syphiliticis. — Ill. Wagner de cachexiis. — Ill. Hecker de medicinae historia. — Ill. Casper de arte formulas medicas concinnandi. — Ill. Kluge de arte obstetricia tam theoretica quam practica. — Ill. Kranichfeld de hygieine. — Ill. E. Graefe, qui mihi innumeros videndi aegrotos copiam dedit, chirurgiam et akiurgiam me docuit. —

Exercitationibus clinicis interfui medicis, chirurgicis et obstetriciis: Ill. Barez, Beat. Bartels, Ill. Busch, Ill. de Graefe, Ill. Kluge, Ill. Osann, Ill. Rust, Ill. Wagner et Ill. Wolff, quibus viris summe venerandis maximeque de me meritis maximas ago gratias; semper eorum memoriam pia grataque mente servabo. —

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medicis nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Universitatis literariae Friderici Guilelmi Ordine, rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, Doctoris Medicinae et Chirurgiae gradus rite in me conferatur. —

THESES DEFENDENDAE.

1.

Morbus nunquam larvatus.

2.

Sunt morbi, qui corpori prosint.

3.

Ad partum perficiendum non matris tantummodo vis sed et foetus contribuit. —

4.

Contraindicatio non datur.

5.

Subitanea e vulnere morte, vulnus absolute lethale fuisse non probari. —

6.

Nullus morbus localis. —

7.

In multis criminibus medicus judex optimus.

8.

Theorema illud Stollii (Aphor. 7) febrem esse conamen naturae, mortem avertendi, omnino probandum.